

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM,

Die Jovis 8. Januarij.

M. FRANCISCO VEZOU

DOCTORE MEDICO, CONSILIARIO & Medico Regis ordinario, Præside.

An Quibus ingenij vis major; minor est corporis?

I.

STEMMATA quid faciunt? Homini homo plurimùm præstat. Et licet iisdem principiis constet: principibus à naturâ aliqui dotibus insigniuntur, quibus suprà cæteros mortales evecti, velut innatâ dignitate principatum habent. Tanti discriminis causa non cœlum, non sydera, non animarum disparitas. A seminum temperie, miscellâ, varioque motu tota futuri hominis existit nobilitas atque felicitas. & quò plures vel pauciores condet virtutes imo sinu fœcundum germen: eò dabit prolem magis aut minùs spectabilem. Hanc hominis ab homine discrepantiam diversa constituere possunt genera virtutum quibus singuli singulariter inclarescunt. At ea maximè conspicua dissimilitudo est in iis qui viri-

bus ingenij præſtant; quales in Lycæo quondam fuere Philoſophi. Et in iis qui viribus corporis excellunt; quales in Paleſtrâ viſi ſunt olim Athletæ. Felix quem naſcentem natura ſivè corporis ſivè animi bonis illuſtrioribus illis exornavit. An cum Platone tamen alterutrius participem ſortis jure vel injuriâ χωλὸν vocabimus.

II.

ROBUR duplex. Alterum partis unius: alterum corporis univerſi. Robuſta pars eſt quæ intrà limites innatæ temperiei poſita ſuum ritè penſum abſolvit. Robuſtum corpus quod exercitij vehementioris, aut improbi laboris patiens eſt. Alterutri ſuſtinendo pares cuncti non naſcimur. Pituitoſi ſomno graviter: frigidè laboribus indulgent. Slioſi παμμάχιον inchoant ardentiore ſtudio: languidiore claudunt. In medio curſu melancholici deficiunt. Solus ſanguineus Pancratiaſtes, imò & nobilis Quinquertio. Calor in illo multus quo vires integræ diu foventur: ruituræ ſtatim recreantur. Sanguis uberior quo muſculorum fibræ teguntur, tenduntur, irrigantur. Spiritus copioſiſſimi qui per nervorum tubulos ſinè ullâ intermiſſione decurrunt: atque hi cum ſint ſubſtantiæ craſſioris non ità facilè tenues evaneſcunt in auras. Hinc in operibus arduis patientia, hinc conſtantia. Inter ſanguineos qui corporis proceritate vincit; pectore non vincit. Δόσιν referet qui ſtaturæ mediocris erit. Qui non pinguis, ſed εὔσαρκος. Cui pilus durior, non copioſior. Cutis aſpera. Nervi craſſiores. Oſſa ſolidiora. Ligamenta ſicciora. Firmiora latera. Pectus latum & amplum.

III.

NON eſt hujus ſoli: nec à ſole exciſa particula anima rationis compos. Clarioris originis eſt forma princeps. Qui cum temperamento eam confundunt; humiliùs dè eâ ſentiunt. Craſſipellis philoſophus eſt qui à ſanguine aliam non eſſe putat. Hæc omnis expers materiæ cum corpore mirè coit quod intimè præſens ſuo quaſi numine movet agitque. Quotquot in humano corpore eliciuntur actiones huic uni acceptæ referendæ ſunt. Fruſtrà facultates fingunt varias omnium operationum principia. Ipſa anima eſt quæ ſuis uſa organis velut è divite gremio tot miracula profert. In vaſis nutritiis alimentum univerſo corpori adornat: adornatum per venas

arteriasque defert quo partes affatim omnes expleat provida nutrix. In capite quæ sua verè sunt munia exequitur. Apprehendit, intelligit, recordatur. Hoc triplici munere quò quisquis feliciùs defungitur: eò felicioris est ingenij. Hic αὐτοδίδακτος literarum semina menti mandabit; quæ postmodùm uberiùs reddet. Hic in variarum artium redundabit elegantiam, & quamcunque professus fuerit in eâ excellet. Hic dè rebus explicatè abundanter & illuminatè dicet. Hic nimios animi motus rationi non obtemperantes dominâ ratione sedabit. Hic solers sagaxque fortunam & fata reget.

IV.

INGENII felicitas, summa felicitas est. Ad eam acquirendam literarum studia, temperantia, selectorum alimentorum usus valdè juvant. Sed nihil inuitâ naturâ perficies; aut certè parùm proficies. Ut non omnis fert omnia tellus: sic non omnis temperies apta mentis functionibus insigniter obeundis. Quæ ex biliosi & melancholici succi mistione subnascitur: hæc egregia & regia. Maximè si nervorum tenuitas, cutis lævitas, & cerebri mollior substantia comes adsit. Sic à naturâ affectis nihil deest eorum quæ ad ingenij præstantiam requiruntur. Habent à bile mentis acumen: à melancholico humore judicium & memoriam. Ab utroque succo spiritus generantur subtiliores, admodùm tersi ac nitentes quorum ad opera mentis utilitas est atque necessitas maxima. Molle cerebrum quoquoversùs à spiritibus facilè pervaditur: in eo res objectæ citiùs imprimuntur. Cutis lævitas eo ingenium juvat, quod plura recrementa sinat elabi quibus ejectis sensus in opus quique suum liberiores incumbunt. Nervi tenuiores quemadmodùm funiculi pulsati citiùs resonant. An ideò non nulli quibus in dorso tubera contingunt quod delicati nervi, ligamenta teneriora continere simul vertebras nequeant? Illustri sunt ut plurimùm ingenio.

V.

FOEDUS nullum esse potest virium corporis cum nervorum mollitie, lævitate cutis, spirituum tenuitate. Qui robore prior esse cupit, is Pugilum habitum liberaliore victu sibi comparare debet. At ingenio præstantes viri adipe nimio mentis aciem obtundi nullatenùs patiuntur. Hi siccio-

res (ξηροὶ σωφότατοι) miserè nutriuntur. Vorax in illis cerebrum est, quod tanquam publicanus in opes reliquorum artuum invadit. Mens perpetuò mota licet immota spirituum familiam funditùs evertit. Hinc musculis ad motum ferè nulla vis : nulla brachiis ad amplexum : nulla pedibus ad incessum. In oculis ingeniosi plus emicat ignis quam in subjectis omnibus partibus. Vix satis habent flammæ vitalis viscera quâ ingestum alimentum conficiant. Hanc á laribus patriis ad caput measse crederes. Trahuntur in ruinam partium nutritioni dicatarum partes generationi inservientes. Hæ miseræ inopes sinè spiritibus, semen si quod effundunt frigidum humidum est : liberis ineptis apta creandis materies. Ac quoniam contentionibus animi quibus summis uti solent ingenij singularis homines ; plus deperditur spirituum quam resarcire aliquando natura possit : gravibus sæpè morbis tentantur illi quorum magnitudine victi antè diem acerbo funere merguntur.

Ergò Quibus ingenij vis major ; minor est corporis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Marteau.
M Antonius le Moine.
M. Guido Crescentius Fagon Familiæ Reginæ Medicus.
M. Iacobus de Bourges.
M. Petrus Legier.
M. Nicolaus Robin.
M. Ioan. Bap. Moreau. Prof. R.
M. Eusebius Renaudot.
M. Isaac Renaudot.

Proponebat Lutetiæ PETRUS OZON, Argimontensis Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. MDCLXXI.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Typographi, viâ Citharæ.